

1998-02-24 – SS Ioannes Paulus II – Littera ‘A Clero’

**IOANNES PAULUS PP. II**

**LITTERAE APOSTOLICAE**

*A CLERO*

**BEATA MARIA VIRGO, TITULO «NUESTRA SEÑORA DE LOS ANGELES» INVOCATA,  
PATRONA APUD DEUM XETAFENSIS DIOECESIS IN HISPANIA CONFIRMATUR**

Ad perpetuam rei memoriam. – A clero et populo dioecesis Xetafensis, quam Nosmet Ipsi anno MCMXCI constituimus, singulari veneratione colitur Deipara Virgo, titulo «Nuestra Señora de los Angeles» invocata utpote sua providentissima Mater, sapiens Magistra et augusta Regina. Qua re ductus, Venerabilis Frater Franciscus Iosephus Pérez y Fernández-Golfín, Episcopus memoratae Sedis, communia excipiens vota, electionem beatae Mariae Virginis titulo, quem diximus, invocatae in Patronam apud Deum dioecesis suae rite probavit atque, litteris die IX mensis Ianuarii hoc anno datis, petivit ut huiusmodi electio et approbatio secundum Normas de Patronis constituendis et ad Normam Instructionis «de Calendariis particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30, ab hac Apostolica Sede confirmarentur. Nos vero cupientes tam sollertis Pastoris preces audire, cum constet has electionem et approbationem ad iuris praescriptum peractas esse, ratis plane habitis iis, quae Congregatio de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, tributis a Nobis facultatibus, hac in re egit, summa, qua fungimur, potestate, harum Litterarum virtute perpetuumque in modum beatam Mariam Virginem, titulo «Nuestra Señora de los Angeles» invocatam, Patronam apud Deum dioecesis Xetafensis confirmamus, omnibus factis iuribus ac liturgicis privilegiis secundum rubricas consequentibus. Quod faustum ac felix sit isti cunctae ecclesiali Hispanicae communitati Nobis sane carissimae. Denique volumus has Litteras religiose servari suosque effectus nunc et in posterum obtinere, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXIV mensis Februarii, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*